7 bis

ENCÆNIORVM RHEDONENSIVM
PRODROMVS
IGNATIANÆ BASILICÆ

MAGNIFICENTISSIMIS

FVNDATORIBVS

ALMÆ VRBIS RHEDONENSIS

CIVIBVS

DICATVS

A PP. SOCIET. IESV

MENSE AVGVSTO ANNO M. DC. LI.

GENIVS RHEDONENSIS AD FAMAM.

PROPEMPTICON.

VADE age, fama, vola, Zephyriſque inuecta citatis
Hac latè circũ populos, hæc oppida circum
Dicta fer. ante ſuum explerit quamproximus orbem
Sextilis, totâque volens deceſſerit æthrâ
Erigone, vacuo dum ſurgant limite Chelæ,
Lætitiæ noua molior argumenta, ſacrumque
Immortale dehinc, & relligione colendum
Præcipuâ. quæ præteriens pendere ſtupebas
Templa diu hactenus, increpitans operaſue morantes,
Aut interruptum toties, ceu numine læuo
Cœptum opus, auſpicijs tandem felicibus vltro
Ante expectatum totâ ſtat mole; fabriles
Ceſſauere manus, operique impoſta coronis
Sera quidem, ſed digna meo eſt. I, præpete penna,
Fama, vola, Armoricamq; cie, quà ſe vltima in æquor

Porrigit; extremo quâ limite diuidit Andes,
Canomanosque, ac Neustriacæ sola pinguia glebæ.
Quin etiam cane finitimis, cane queisque remotis
Gentibus, & longè fac publica gaudia tellus
Audiat. huc conferre animos, conferre precatus
Vndique, Diua, iube. reserat sacra limina præsul
Henricus. par Indigetum, par nobile, templo
Accipit, & dignas longâ spe dedicat aras.
Eia age, quid cessas? num te quoque templa morantur
Cuncta admirantem? I, ventos ad frana iugales
Coge, mihi hanc operã propriũ hunc mihi, Diua, laborẽ
Annue. cum senibus iuuenes, matresque, nurusque,
Nauta, colonus, eques, totâ cum plebe quirites
Conueniant. tantum hoc. si plura rogabere, cursim
Præcipe. * *primus erit Phœbo labor. ille sorores*
Accinget certatim operi. consorte Mineruâ
Nescio quid præter solitum ex longo apparat, ingens,
Regificum, augustum. pubes vbi classica septis
Clauditur, & proprijs ordo se quisque coercet
Sedibus; hîc festo omnia collucere paratu;
Arte laboratas multâ pendere tabellas
Parietibus, postes radiare, micare lacunar,
Hîc vernare rosas, naturæ imitamina, fructusque
Erranti lapsu implexos, hîc stare columnas,

* Apparatus Scholarũ.

Circum hederas, & nexilibus vitem ire corymbis,
Hîc picturato cameratas fornice valuas,
Iamque fatiscentes picta sub pondere molis
Atlantas, tectorum opera interrupta, minasque
Murorum veris similes, & marmora facta
Peniculo, tophum, gemmas, ac mille metalla
Cernere erit simulata modis. æquare iocando
Natura certabit opes ars æmula veri.
Nec simplex decorum facies, haud omnibus idem
Porticibus suspectus erit. sua quisque paratu
Atria dispari ornabunt. amor omnibus idem,
Mens eadem certè est Rhedones attollere cœlo.
Sed non idcirco nullo hæc discrimine cernas
Confieri, vt tulerit sors, aut sua quemque libido
Impulerit. certâ dimensus lege, modoque
Singula, describet fines, describet Apollo
Munera, & ingentes afflabit numen in orsus.
Accipient leges Musæ, nutumque sequentur.

Rhetoricæ ornatus.

Prima quidē ante alias Charitū blandissima mater
Phœbei Regina chori, diuûmque virûmque
Suada potens ostentat opes, & diuitis omnem
Explicat ingenij pompam, incensura minores
Nobile in exemplum Diuas. quæcumque priorum
Extudit ars, quæcumque sequens imitabitur, Aulæ

Collegit ſpatijs, latio, graioque diſerta
Eloquio; numeris ſeu iuuerit ire ſolutis,
Seu vincire modos. hîc quadrijugo ordine circùm
Dependent varijs centena emblemata ſignis,
Loiolidæ decus, & ſacra referentia laudes
Militiæ. certo diſcrimine ſymbola carmen
Diuidit; at facili reſerat myſteria niſu
Muſa. pauimento congeſta aſſurgit ab imo
Chartarum ſeries, Rhedonum decorata triumphis
Stemmata, diuitias operum, ſumptuſque ſuperbos
Præ ſe mole ferens totâ. hæc coeuntia ſtringit
Membra operis, neu continuo faſtidia curſu
Afferat in longum extenuatius, aut ſua deſit
Compages aptando habilis quæ vinciat artus
Inter ſe, parteſque vetet diſcedere. membris
Membra velut commiſſa hærent, velut oſſa, torique
Stant, & corporibus grandes fultura lacerti.
Aut velut areolis natiua tapetia florum
Tonſilibus buxis, ſpiſſaue crepidine myrthi,
Sulcat odorati cultor bene ſtrenuus horti.
Quale tabellarum decus, aut quis deinde lycei
Cultus erit, capere auguriū hinc, ſpecimenque licebit.
Ante fores trabibus tabulata aggeſta ſub auras
Attollunt molem. hîc heroum viuere vultus,

Hic vmbras spirare putes. expertia vitæ
Corpora sic animat color. alto in pegmate suprà
Tormentum ingenij, Phœboque interprete digna
Effigies tegit arcanis mysteria signis.
Hoc Vignonis opus. dignum solennibus aris
Nec priuatæ ædes, pariesue profanus habebit.

Aenigma.

Aliger æthereâ submissus ab arce salutem
Fert Diua, pacisque omen, niueique pudoris
Lilia prætendit. radiat compactile gemmis
Syderibus bis sex aptum diadema, decora
Frontis honos. licet astra caput, radiataque nubes
Aurifluo crines, & tempora circinet imbre;
Sceptra licet tractanda manu, cœloque, soloque
Imperiosa puellæ hymenæi interpres ephebus
Eque auro, capiti tegmen regale, coronam
Offerat, ætherei dotalia munera sponsi;
Non illam diadema trucem, non gloria frontis,
Non faciunt data sceptra trucem: sed pacis honora
Obses amãs, mutata genas, vultumque, pudentes
Sponsa oculos defixa solo lætabile fœdus
Virgineo probat assensu, materque vocari
Annuit, integri custos sibi certa pudoris.
Pone stat excisus pario de marmore turis
Conditor Isacij Amramides, saxoque capaci

Seu pacis leges, seu connubialia visus
Scribere pacta celer, tabulasque implere fideles
Sortibus arcanis. tenuem suspensa ministrat
Lampas oliuo ardente diem. de nube sequester
Spiritus in niuea speciem, moresque columbæ
Vertitur, & tacito allapsu cœlestia sancit
Fœdera. coniugio noua nupta paciscitur orbis
Imperium, supparque Deo noua Regna capeßit.
Quã bene junctus hymen! hoc dignus coniuge coniux,
Hoc quoque digna fuit castißima sponsa marito.
Quid puer inter se, quid mater virgo loquantur,
Cur circùm Aligeri capita vndiq; flammea promant,
Cur iuxtà flores & odoræ copia meßis;
Quid penitus tectum lateat sub imagine, Pictor
Nesciijt, aut certè voluit nescijsse videri.
Ante diem tu quidquid erit, caue ferre per aures.
Hic sphingis labor est. * Egreßis atria Suadæ
Ecce noua occurret species, haud dispare cultu
Absimilis longè. sublatum vtrinque columnis
Vestibulum apparet. Suadæ germana Poësis
Sedem habitat, vatum genitrix, diuûmque Poësis.
Fronte super Rhedonum meritis erecta trophæi
Porticus instar habet. mediam Themis occupat. olli
Textilis argutos obnubit fascia visus;

* Secũdæ scholæ ornatus.

Laua

Laua tenet libram; rotat enſem dextra coruſcum.
Inferior clauam Alcides intentat; in armos
Colligitur nodo pellis ſuccincta, leonis
Exuuia. prope ſtat plauſis Cyllenius alis,
Vt virgâ implicitos fatali ſuſtulit angues,
Impiger ire viam. Rhedonum ſic robore vincit,
Ingenioque Themis. gemina præconia laudis
Certatim Aonides, certatim fama renarrat.
Ardua venturis monumentum imitabile ſæclis
Pyramis aſſurgit. manibus par nobile diuûm
Fulcit opus, prohibetque ſolo procumbere, quidquid
Tempus edax, quidquid vis contrà inimica minetur.
Sic facito, Ignati, ſic tu quoque dexter ab Indis
Huc oculos, Franciſce, refer: date templa perennent,
Perfugium Armoricæ, trepidiſque in rebus aſylum.
Mox vbi progreſſus tectis ſucceſſerit hoſpes,
Hîc vero proauûm vultus, hîc ordine longo
Maiorum faſtos, famamque agnoſcere gentis,
Fas erit. æternâ pars vincta tempora lauro,
Pars ſtabunt hederâ, & ramis vernantis oliuæ
Heroum effigies. Illi, dum vita manebat,
Armoricam longè, nomenque extendere bello;
Hi mage paciferas auidi clarere per artes
Iura, magiſtratuſque dedere, vrbique ſenatum

Fundarunt, columen miſeris, aramque ſenatum,
Æuo digni omnes, & iugi viuere fama.
Poſtquam oculos hoſpes, mentemque expletus abibit;
Fac tamen inſiſtat paulùm, viſuſque reflectat.
Porticum in obuerſam, nec erit mora longa. virenti
Colle tumeſcit humus. glaciali argenteus humor
Fonte ſalit, virideſque inter pellucidus herbas
Labitur, & vitreis vernantia gramina ſtillis
Irrigat. æquoreis, licet æquora proxima ſpument,
Inconfuſus aquis, quæ maxima gloria lympha eſt,
Alluit auguſti fundamenta intima templi.
Sic olim informis prima incunabula terræ
Circumfundit aquis, liquidoque in corpore fixit
Rerum opifex. hæc cælicolis delubra locarunt
Egregij pietate viri, cariſsima cœlo
Nomina, tollendi famâ ſuper æthera Ciues.
En rapido volat acta noto, volat æquore nauis
Nuncia grata rei. quæcumque ad littora proram
Aduertet, factum hoſpitibus memorabit, & vrbes
Laudibus incendet. rutilanti in nube phalanges
Alituum ſuprà volitant; velut iride ſignat
Crux erecta viam, quà ciuibus itur ad aſtra
Munificis. natum gremio complexa coruſco
Diua parens candore micat, Rhedonenſia ſubter

Ae-nig-ma.

Mœnia despectans, ac templa recentia diuûm.
Ipse autem magnæ supplex ante ora parentis
Loiolides fusus geminum prece numen amicat,
Commendans vrbem, & merito cum ciue penates;
Seque vadem dedit fidei sponsore ministro
Alite, cœlestum è cuneis primoribus; ille
Monstrat iter cælo. faciles impendit vtrisque
Cum nato genitrix oculos, vrbisque tuendæ
Loiolidæ dat sponte vices. communia ciuis
Vota facit, structasque vouet cælestibus ædes.
Ecce autem furuis horret media area monstris.
Tergeminæ pestes, acherontia spectra iacentem
Circumquaque rotant orbem. fœdissimus inter
Tartareos lemures piceum fumante vaporem
Affundit tædâ, solemque obducere certat.
Hic iaculum valido contorquens dirigit ictu
Flammiuomum iaculum: hic laqueos nodosaq; tendit
Retia. coniurati orbem rescindere facto
Impete concutiant vulsum ab radicibus imis,
Ni palmas ausus luctantes tendere contrà
Loiolides sæuire vetet, furiasque precando
Exarmare potens duce certet, & auspice IESV.
Quid faces superũ tam blanda, quid optima rerum,
Quid versâ vice monstra velint prędicere noli

Tertiæ class. ornatus.

Conditum ante diem. digressos protinus aulam
Grammatices studio lustrare moneto. sub æthrâ
Porticus ante fores patet ingens. area postes
Interualla secant, interque columnia, picti
Æris opus. super his testudo imposta laborat
Mole sub immani tabularum, aditusque decorat.
Huc vbi progressus suspexerit aduena frontem;
Hic vero insignem luxum miretur, & euge
Ingeminet, crebrumque sophos, seu cætera nusquam
Pompa foret, nullo splendesceret area cultu.
Iam satis ante fores. nunc in penetralia gressum
Ferre iuuat. vocat ingenti clamore iuuentus,
Ipsa adeo regina loci vocat. ilicet hospes
Grammaticæ delubra subi. labor omnia longus
Vestijt; ars pretium, laudémque operosa labori
Addidit. æquali inter se discrimine pendent
Parietibus tabulæque, & signa loquentia. dispar
Materies licet ingenio est. tamen vmbra figurat
Magnum instar, ductúsque suos non abnuat auctor.
Hic paribus discreta modis mirare, nec vnam
In faciem digesta toreumata. quadrat in vnguem
Limitibus veluti via sectis; inde per artem,
Seu cæsim caua, seu scalpro pungente recedunt.
Hinc proiecturis extantibus vmbo tumescit;

Innumerasque capit species tornatilis ilex.
Hac inter, mediosque sinus latissima currit
Pagina, Apollinea dudum vigilata iuuenta.
Quacumque astrinxit numeris, quacumque soluto
Ire puer siuit pede, vel deuexit Athenis,
Romanum, Graiumque loqui non inscius. omnem
Quippe oculis metire locum, & caue cominus vllam
Partem inuisam operis, illaudatamque relinquas.
Pracipuè secreta domus, praque omnibus auri
Contemplator opes. rident auro omnia. lucet
Auro picta abies, paries interlitus auro est.
Obruso scapi tabularum, & plurimus auro
Splendescit torus, asseribus promiscua sparsim
Lilia diluto flagrant ardentius auro.
Iam nullo minium in pretio est, sine nomine sandix,
Et fastidito abijcitur cerussa decore.
Fallimur? an verè domus aurea Casaris hac est?
Aureus iste dies, & secli postumus aurei.
Prodiga opum, ingenij nihilo Dea parcior artes
Exhausit. quacumque animos, & lumina vertis,
Ingeniosa vides pigmenta, artisque magistra
Effigiem. nec materies sua desit acuto Aenigma.
Oedipodi. cernas vacuo concurrere campo
Heroas geminos. densâ cinxere coronâ

Hinc atque hinc armatæ acies, euentáque pugnæ
Exspectant suspensæ animis. hic surgit in hostem
Ardaus, atque ingens infesto pondere saxum,
Haud partem exiguam rupis sustollit; anhelat
Deficiens. trepidantem animis, genibúsque putares.
Respectare fugam, & pugnæ diffidere iniquæ.
Ille autem relegens oculis vigilantibus hostem,
Iam vultu melior, telum fatale coruscat
Vi multâ nitens. amborum in pectore sensus
Dissimiles cernis, diuersas currere toto
Ore notas. precium victori regia virgo
Asciscenda thoro, castisque iuganda hymenæis.
Parte aliâ sublimis equo, portamque sub ipsam
Vrbis, & obsessum numeroso milite limen
Pannonius prægestit eques. riget aurea squammis,
Quà trans & clamydē gemma interlucet, & ostrum,
Lorica. erecto rutilantes vertice cristas
Ventilat aura leuis. puro pretiosior auro
Cæsaries rutilat. primâ lanugine malæ
Luxuriant. auro suras inclusit ab omni
Parte nitens. viden vt tanto sessore superbit
Bellator sonipes stratis insignis, & auro
Nobilis ante alios? vt toto corpore in auras
Surrigitur? densæque iubæ, propexaque ceruix

In cirros; vittis, & versicoloribus ardet
Lemniscis caput argutum. luctantia mandit
Frana ferox; spumas agit ore, & naribus ignem.
Quò decus hoc tantum, quò tota hæc denique vertet
Gloria? parce animis, parce isto surgere fastu
Quisquis es, augurio si quid mens prouida pollet,
Tu Martinus eris, Turonum tu maximus vrbi,
Tu Francis orbique decus. te, si sinis, olim
Splendidior fortuna manet. mauortia quamuis
Pectora flammet amor laudum, famæque cupido;
Desine bellorum, atque hunc obliuiscere Martem.
Nunc age, & huc oculos, mentémq; aduerte. sub oram
Extremam tabulæ latitat, miserabile visu,
Irus inops. faciésne viri? at quis tam horridus inter
Agrestes, inque ipsâ alto sub sole proseuchâ?
In massam corpus languor contraxit: at ingens
Attollit dorsum vegrandi tubere gibbus,
Obstipumque infrà caput obruit. arida pellis
Membra tegit, nisi quâ vlceribus deformis biulcis
Rumpitur, atque intus venas spectare trementes,
Et consumpta sinit ieiuni viscera ventris.
Committi lumbis humeros, & crura putares;
Claudicat adductis quamquam crus debile neruis.
Immensùm genuumque orbis, talíque rigentes

Intumuere. pedum articulos depaſcitur vlcus
Horribili ſanie: capitis iam dicere formam
Quis valeat? pilus occiput hiſpidus aſperat. ægrum
Infami ſcabie, & putris porrigine tabi,
Catera laue caput, teſtáque vrendo recoctâ
Torridius. cruor auriculis diſtillat adeſis.
Setoſa infeſtant viroſæ tempora veſpæ.
Semeſas nares, ſummiſque in naribus hirtum
Suggeſtum villorum, & putreſcentia labra
Horrueris, dentéſque duos deformis inermes
Relliquias gingiuæ, & adhuc non ſponte tenaces.
Sordidus ore fluor, mentúmque, ſinúſque pereſos
Inficit, ac lento conſtringit glutine barbam.
Triſte ſupercilium ſpinoſius hiſtrice mala
Illuuiem ſquallore tegit: ſed viſcus adempto
Ex oculo manat, dum vix bene ſanior alter
Suppeditat tenuem pertæſo viuere lucem.
Vt quæras oculos, vix internoſſe lacunam
Eualeas; fugere retro, quaſi cernere nolint
Pædorem membrorum, & fractos turpiter artus.
Adijce & exundans ſtrumoſo gutture virus.
Marcet, & extincto genitali humore ſiniſtra
Pendet iners humero. rupto internodia nexu
Diſceſſere loco. digitis manus altera curuis

Ægra

Ægra tenet baculum vestigia cæca regentem.
Par forma tegmen, nisi tegmen dicere nullum
Malueris. disrupta pedem vix cingit aluta
Dimidium; læuam soccus plantam impedit; illum
Cortice de querno connectens subula fecit
Esse habilem, atque aptans intexto vimine talis
Subligat: attriti frustum miserabile panni,
Aut medio carptum è triuio, madidâue cloacâ
Per delumbe latus, tabescentesque per armos
Traÿcitur. pendet sed inanis mantica collo.
Ad latus extriti religatur segmine sparti
Fagina lanx, Iri infelicis tota supellex.
Hunc meritis fortuna locum dedit, vtere, miles,
Vtere; mancipioque tuum, nexuque tonantem
Effice, namque potes, totumque paciscere cælum
Exiguâ stipe. vaginâ quid deripis ensem?
Parce iræ. agnosco. fulgentia pallia scindit,
Donandum misero tegmen. sic munere diuos
Concilias olim diuis addendus. ab alto
Aligeri; quin ipse Deus speculatur amictu
Igniuoma septus nubis, scissoque superbus
Pallio ouat. noscisne tuum, Panno optime, munus?
Tempus erit sacrâ cum dona rependet abollâ
Omnipotens; dextram lituus cum pacifer istam

Ornabit, dextram morbi lethique potentem.
At tu ſpectatum quicúmque ad mitteris iſto
Conſule te in ſpeculo; humanos hìc diſcere caſus
Ne pigeat. veniet, nec longum forſitan hoc eſt,
Cum tuus ille decor ſimili mutabitur oris
Illuuie, ſordeſque tuas, quem reſpuis, Irus
Reſpuet, & verſum fortunæ deprimet ictus.
Fors tamen hac aliquid triſti ſub imagine laium
Occulitur. tu continuò ne cede dolori.
Sæpius obſcuri trans horrida nubila cœli
Purus, & aſſueto ſol ridet amœnius ore;
Lætitiam frons ſæpè tegit, licet aſpera; cortex
Non faſtiditas premit intractabilis eſcas.
Quid monſtrũ deforme hominis, quid miles adumbret,
Hæ conjectorum curæ, hic labor improbus eſto.
Grammaticæ inſtructus reliquos, & ſingula picta
Ornamenta domus numero comprehendere lõgum eſt.
Tu ne parua moræ tanti diſpendia credas,
Quin cuncta illuſtres oculo, artificumque labores,
Oraque, picturaſque oculis, manibuſque loquaces.
Ingeniúmque repertoris mirere, negatas
Quippe animo ſuppleuit opes, ac diuite venâ
Ingenij generoſus opum contemptor, & auri.
Hactenus aſſuetus muſis labor actus in orbem

Solenni de more ierit; nisi gloria circi
Quod maior, legemque supra est. licet ire, nec vltra,
Si properant, oppone moras. visenda sub ipsum
Praterea egressum qua sint, si deinde rogaris,
Accipito. hesperium quâ respicit area solem
Et laua obliquo sinuamine vergit in austrum,
Hic tyrocinium, hic primâ sudare palæstrâ
Ingenuus discit puer, hic sermone latino
Fingitur os tenerum, dum praui elementa magister
Eradit, mentesque velut lambendo figurat.
Tergemina totidem hac habitant pallatia Nympha,
Matre deâ generata omnes, latisque vocata
In sortem auspiciis: sed enim asperiora perosa
A teneris studia assuerunt puerilibus orsis,
Nec genus indecores, aut parta laudis egena.
Maxima natarum reliquis magis omnibus vna
Grammatica dilecta larem secreta parenti
Finitimum, seu iure tenet, seu sorte capessit.
Catera deinde tenent reliqua loca. maxima natu,
Nec curas experta tamen, nondumque per annos
Alite stare sciens in equo, contenta pedestri
Ire puella viâ Phœbum inconcessa poposcit
Iura prius; nec tantum aliàs impune rogarit
Fas prater, moremque chori. tamen annuit vltro

Quarta schola præter moré

Phœbus, & hunc Rhedonum meritis impendit honorẽ.
Nec soror inuidit minor, etsi eadem ausa precando
Difficiles habuit diuos, & passa repulsam est.
Ergo animi fidens ad pensa incognita pubem,
Pubem expertem operum, intempestiuamque labori
Impellit. vires fiducia suscitat ausu.
Quin etiam primis gaudens successibus ardet
Linquere humum ocyor, & mortales temnere sensus.
Astra super curru inuehitur, sedesque beatas
Indigetum sublimis adit. rapit ignea virtus
Aspernantem humiles curas: mox inde reuecta
Formam operis pro vestibulo, pictisque locauit
Porticibus. turma Aligerum plaudentibus alis
Circum Loioliden funduntur; at ipse curulem
Sub genibus nubem premit. ambit flammea candens
Tempora lux; humeros fuluo pretiosa metallo
Palla tegit, gemmis illusa, atque aspera signis.
Quali habitu sacram mystes operatus ad aram
Rite Deum Patri imperiosâ voce litabat.
Obuia cœlicolûm interea se se agmina diuo
Effundunt medium per inane, nouumque quiritem
Ætheris accipiunt, & multo thure vaporant.
Ipse autem obtutu sensum defixus in vno,
Trans iubar igniuomum, trans ignea fulgura lucis,

Aenigma, quartæ scholæ

Suſpicit admirans radiatum nomen I E S V,
Suſpicit, & vultus aduerſâ luce colorat.
Hæc vulgus ſpectato quidem; ſed vatibus intrò
Solis ire datum eſt, tabulæque reducere velum.
At non obſcuris diuina incendia ſignis
Prodit amor. patet artifici ſpelunca receſſu
Ora ſub, introitumque ſcholæ, quam fornice picto
Curuat, & ambiguo ſaxorum imitamine rupes.
Nec non & Chriſti pario de marmore ſignum,
Archetypum meditatus opus, totidemque ſecutus
Artubus aſsimiles artus pro limine fictor
Conſtituit. rigidâ latus hauſtum cuſpide grandi
Vulnere hiat; largus manat de vulnere ſanguis,
Et iugi refluens craterem flumine complet.
Cernis vt in liquidâ cryſtallo pingere geſtit
Numinis effigiem Naias genialis aquarum
Hoſpita, dum occultis ſubter ſacraria Phœbi
Interlapſa vijs dominos famularibus vndis
Allambit venerata pedes, humilique teneri
Indignata ſitu liquentibus aera pennis
Findit & aſsimilans argentea lilia ſpumis,
Sparſa ſinus gelido crines diademate cingit.
Ipſa ſuum ſpeculata Deum, ſpeculumque viciſsim
Facta deo pariles vndoſo marmore reddit

Effigies, ſimul aduerſos rapit æmula vultus.
Cernis in illimi fluitantis gurgite fontis
Marmoreos Chriſti vultus, plagamque rubentem.
Ac velut affuſo latice abſterſura cruorem
Eiaculatur aquas; tenui mox garrula roſtro
Mille iocata modis placido ferit æthera luſu;
At modo præcipiti, ceu vortice naufraga, lapſu
Euoluit liquidas cumulo ſidente ruïnas.
Deciduum rorem nitido cratere coercet
Marmor, & ingenuo conſtratus pumice fundus,
Quo ſuper & conchis illabens candida virgo
Aſſonat, atque infuſa tubis alimenta miniſtrans
Errat humum ſubter, læuique coercita plumbo
Suaue gemit; tenues gemitus ſpirabilis aura,
Quos iterum reddat, rimoſo colligit ore
Multa fremens, auget ſinuoſus murmura pumex,
Perque tubos queritur, latebroſos hoſpita mugit
Dedignata lares ſurſumque erumpere tentat
Altius. hinc ſenſim molli ſe fornice curuans
In cameræ morem, vitreâ teſtudine circum
Labraque, pieridaſque, lacumque coronat, & vndas
Ac tandem bibulâ fugiens ſe condit arenâ.
Quid domus interior, quid magnum hoc denique capto
Aula habeat, primo ex aditu prædiſcere promptum eſt.

Nec modo vti mentem conſpectu irritet inani,
Hoc dabit in tabulâ ſpecimen : penetralia fronti
Conueniunt. ſcrutata polos audacula virgo
Loioliden canit, & dios gratatur honores.
Nunc quibus ad ſuperos ſe ſuſtulit arduus alis,
Nunc cœli quâ parte ſedet; iam quantus ab alto
Annuit, & gaudet poſcentum audire vocatus;
Iam quantus delubra implet; quot numina firmat
Prodigijs, extrema ſequens veſtigia pandit.
Si non ſunt numeri, ſi non eſt Graia facultas,
At non pictorum veneres, non gratia deſit
Artis Apollineæ. veterum facta inclyta patrum,
Effigieſque micant. hinc comprimit ora ferarum
Captiuus vates; hinc regis mitigat iras
Ieſsiades, cytharâque leuat mala ſemina morbi.
Inde giganteâ caput à ceruice reſectum,
Fulmineumque oſtentat ouans, ac ventilat enſem.
Parte aliâ hoſpitibus ponit conuiuia diuis
Thariades; fugit hinc dominam, amplexuſq; procaces
Progenies ſenis Iſacidæ. nec ſecius ardet
Loiolides factis patrum ſuperare triumphos,
Præmonſtratque ſuas hebræo in ſchemate laudes,
Monſtrorum domitor, longoque exercitus vſu.
Nec locus eſt quo Loiolidæ tantum ardua virtus

Praniteat. domus indigete haud indigna recepto
Pensilis in morem cali laquearibus aureis
Illigat artifici ramenta argentea visco,
Et sparsim tenues auri flauentis arenas.
Fusile gemmarum decus addit, & orbibus orbes
Sydereos pictis imitatur. plurimus Atlas
Sustinet ardentem nodis stellantibus athram.
Cuncta quidem laudabit, & admirabitur hospes,
Quo se cunque ferat. Sed pars & maxima laudum
Materies, tua Vigno, manus; tibi Loiola debet
Indiges, éque tuo capit incrementa labore.
Omnibus vnus amor tabulæ; postrema moratur
Claßibus egressos quæ prima allexit euntes.
Et nisi turba recens, velut vnda reciprocat vndam,
Eijciat septis, neque serâ nocte recedant.
Si tanti hospitibus spectata ænigmata, prima
Si tanti artificis cura; tamen hactenus illum
Prælusisse puta. secum, dum seruijt aris,
Relligiosa manus contendere visa priores,
Seque, artemque suam, vel Phœbo iudice, vicit.
Ergo templa simul sacris lustrata patebunt,
Et populum accipient plenæ cœlestibus ædes,
Hîc alios vultus, & nullì imitabile cernes
Eximij specimen pictoris, principis aræ

Orna-

Ornamentum ingens. nec iam cunctabere Apellis
Parrhasijque manum, aut artem iurare Melanthi,
Si telam exesset fuligine longa vetustas.
Hic Pater omnipotens per sæua exorsa dolorum,
Atque ignominiæ natum erudit ire per omnes
Dedecorum, pœnæque gradus. heu tristia vitæ
Auspicia! augusti pretiosus nominis emptor
Pupulus, hoc habitu vix agnoscenda parenti
Progenies, miserum! humano deformis amictu,
Dissimulánsque Deum, tenui seu fonte cruorem
Succisâ de carne litat, dum grandibus olim
Victima sufficiat plagis, & sanguis abundet.
Nec matre indignum est crudeli opponere cultro
Exlegem natum: quin ipsa recidere pellem
Haud dubitet; non ipsa tamen nil cæde mouetur.
Iuerunt lachrymæ ex oculis, vbi membra momordit
Vulnifico mucrone chalybs, interque secandum
Altius ad viuum persedit, & vbere succo
Vitalis panacea, animæ genitabilis humor
Liquitur, effusumque bibunt alabastra cruorem.
Non illi ambrosiæ succus, non balsama certent,
Non quidquid terra, aut exsudat purior æther.
At riget, inque breues infans se colligit artus
Vulnere confessus sontemue, vademue nocentum.

Tabula aræ primariæ.

Sanguineum lentâ lachrymarum aspergine rorem
Condit amor miscens, medicatum & diluit unguen.
En solymæ delubra patent; penetralia templi
Horror habet. Deus, ecce Deus. consedit eburnâ
Infantem opperiens in sellâ antistes. abolla
Circum humeros aurata tegit, capitique tiaræ
Gemmeus ardet apex. dextram illætabilis armat
Isacidûm toties imbutus sanguine culter,
Nunc quoque diuinum, heu, sitiens libare cruorem.
Ante oculos infans, & adhuc sine nomine diuûm
Atque hominum pater, astantis preciosa leuitæ
Sarcina, puluillo recubat, cui tempora circum
Sydereo radij igne graues fulgentia cingunt,
Diui ortus specimen. puluillum hinc inde quirites
Aligeros fulcire manu, infantique videbis
Obsequium properare Deo. supra æthere toto
Cœlituum glomerata phalanx è fornice templi
Pensilis obseruat gemitus, & fixa stupore
Submittit pennas. prolem venerantur herilem
Ætherei vernæ: pars diuite libat acerrâ
Infantem testata Deum; pars nablia pulsat,
Aut chordas aptat numeris. superi agmina cœtus
Suspicit, & secum reputat portenta Leuites.
Stat iuxta roseo puer ore venustulus, auro

Cæsaries, eborique manus, & labra corallis,
Syderibusque oculi certant; florentia cingunt
Serta comas; cratera auro gemmisque rigentem
Fert manibus, fert malluuium, plagamque fouendo
Fasciolas, vnguenta, & opimo balsama succo.
Ipsa adeo pars luctifici non vltima sacri
Mater adest! mensæ paulùm inclinata moratur
In puero, seriemque rei altâ mente reponit
Illachrymans. nec te, matrum annosissima vates
Anna, tuæ vel curæ domus, vel grandior ætas
Esse vetat comitem; inclementia fata puelli
Respectas miserans. te scilicet illa manebat
Horribilis sacri species, necis vmbra futuræ.
Hoc erat, hoc quod nocte Deum venerata, die que
Orabas, ex quo Solymæi sedula templi
Incola dilecto pridem spoliata marito
Perstabas vidui custos longæua cubilis,
Sueta dape exili, & largo ieiunia fletu
Pascere, libatáque sitim restinguere lymphâ,
Præscia quin etiam venturi, & certior augur,
Iamque oculis experta fidem præconia diui
Infantis, patriumque genus, sortemque futuram,
Isacidûm furias, libertatisque propinquæ
Pignora, seruandamque olim per vulnera gentem

Attonitæ memorat plebi. mirabile dictu,
Ipsa stupet genitrix. curuato poplite supplex
Procumbit coram pueri castissimus altor.
Aligeri pæana canunt, atque obside pupo
Gratantur stygio certos ex hoste triumphos.
Nec modo præcipuæ pictor decus addidit aræ
Oblitus reliquarum, aspernatusue minores.

Tabula SS. Thomæ & Mar.

Protinus in dextram visus deflecte; licebit,
Incertum fidei Didymum spectare, tenacem
Propositi, non ante reuectum in luminis auras
Credere, quam digitum Christi in latus inserat atrox
Inspector, vulnusque altè tentarit adactum
Exanimo. rutilante humeros insignis amictu
Christus adest, laterisque patentem ostendit hiatum
Exhortans, manuúmque pedumque intrare latebras,
Argumentum ingens, atque inuitamen amoris.
Iamque oculis haurire fidem, certisque labantes
Scilicet indicijs animos fulcire quid vltra
Cunctetur, reducisque notas agnoscere vitæ?
At Thomas oculos non ausus tollere contrà
Sublegit aspectu furtim caua vulnera iussas
Ferre manus intrò dubitans, ac territus hæret,
Semianimi similis. veluti qui fulmine tactus
Obriguit dubius lethi, dubiusque salutis.

Magno emptum velit indictum quodcunq; loquenti
Excidit, & socijs habuisse monentibus ultro
Ante fidem, quam se in medios spectabile numen
Inferret, vnumque vocans ex omnibus vnum
Argueret. dolor est animum; re dicta refutat
Suppliciter tristis; gliscens pudor ora colorat,
Ora repercussu, laterisque rubentia ab ostro.
Sed neque tela reo veniam exorare precando
Sustineat, dominum confessa Deumque vicissim.
At silet. vsque adeo temere pudet esse locutum.
Et ni præsenti confirmet numine Christus,
Sponte suâ auertens se condat inertibus vmbris
Impatiens ignominiæ, meritique pudoris.
Haud procul, extremus quà claudit margo tabellam,
Areaque obliquo abducens simulacra recessu
Rarescit, trans ambiguæ sublustre diei
Lumen, opacum intra nemus, albâ in veste sacerdos
Iam senior, tyrioque artus succinctus amictu
Arboris aclinis trunco, paulùmque leuatus
In cubitum tumulò insedit; calamóque volucri
Exarat ingenua sinuosa volumina charta
Miranti par. hos oculos, hæc ora ferebat,
Credere si dignum est picto ri, Marcus. amico
Blanditur iuxta rictu, caudamque remulcet

Rex nemorum leo, & edomitâ ceruice reclinat
Innocuas per colla iubas defixus in ora
Scribentis vigiles oculos. communibus atam
Auspicijs hanc ambo regent, ciuisque precantis
Vota secundabunt sociali numine Diui.
A diuerticulo nunc intermissa reuise
Atria Pieridum, & reliquā sequere ordine pompam.

Quinta & Sexta Schola.

Lætitiæ in partem deinceps minorire parabat
Blæsa soror quamuis, etiamnumque inscia fandi.
Iamque animis famam, iam spe præceperat audax
Consilij, atque adeo nil concessura sorori,
Si leges sinerent, dexterque faueret Apollo.
Dijs aliter visum, donec matura labori
Firmarit genium, & se prætentauerit actis.
Haud tamen immunem curæ, aut impune quietam
Esse sino. non ipsa vacet postrema sororum.
Æquus vtrique labor, decretum inducere templo
Supplicium, & pompam delectis ordine ab omni
Instruere agminibus iuuenum, dum mystica Præsul

Philosophicæ concertationes Ciuibus dicatæ.

Liba feret, Cererisque Deum sub nube latentem.
Interea Sophiæ proprias accommodet ædes
Decedatque loco, & campum haud inuita relinquat.
Spectatura acies, & iam pacata Minerua
Classica ad arma vocant, famæ tentare periclum.

Tempus adest. campum doctus triuisse lycei
Quisquis eris, mihi vim mentis, vim promito linguæ.
Hæc vos, ô iuuenes, tangunt exempla; reposcit
Armorica illustres generoso à sanguine sensus.
Haud aliter nidos maiori verberat alâ,
Alituum regina, Iouis pennata satelles,
Plauditque exultans iam fulmini adulta ferendo
Non indigna hæres. in spem submissa parentum
Progenies clausas atauorum pectore dotes
Ingeniosa refert, & curru tangit auito
Palmares metas, per Palladis arua triumphos
Ducere amans, perque Aonidum dominata parenti
Regna. velut strepitus inter inter plaususq; fauentiũ
Inclyta pugnaces incendit adorea turmas,
Dum collo sinuante comas animosa torosum
Biga caput quassat, stimulatque fremendo pauentes
In laudem aurigas, fremitu freta pulsa resultant.
Acrius haud aliàs animi incaluere ruentum
In gladios, cæcique arma horrida Martis, vbi æris
Increpuit canor. haud aliter, Dialectica signum
Vt dedit, exultant pugiles, linguáque lacessunt
Haud inimicum hostem atque alternant ictibus ictus
Compositi numero in turmas. sub pectore gliscit
Laudis amor; stimulis animos haud mollibus vrget.

Gloria. feruet agon, præses certaminis instat.
Instigans dictis pugiles, si forte sub ipsum
Certamen, mediisque adeo in conflictibus ægri
Deficiant, statuitve loco, reficitque cadentes
In pugnam. ex omni diuersus parte petitor
Circuit, & citior quâ sit victoria, tentat
Clamorem intendens: crebris assultibus addit
Insidias. nec se interea clarissima pubes
Deserit, aut famæ obliuiscitur; ardet in hostem
Tela retorquere, & pugnas æquare petendo.
Vndique crebrescunt pugnæ, crebrescit arenâ
Spectantum fauor, & pubi ter fausta precantum.
Aduertit Rhedones pugna implacata, nec vsquam
Certatum auspicibus tantis reminiscimur. addit
Ingenio vires, lætum certantibus offert
Augurium, meritique vrget præsentia ciuis.
Ollis cœlicolæ meritis pro talibus olim
Persoluant grates dignas, & debita pendant
Præmia, qui hospitibus struxere palatia Musis:
Quique superficum ingenti molimine templum,
Ac stabiles Diuis posuere volentibus aras.
Et nos interea officiis certare parati,
Nec meriti immemores uicturam in sæcula famam
Spargemus, totoque vrbem clarabimus orbe,

Vrbem

Vrbem delicias superûm, Armoricaque parentem.
Ecce locuturo monumentum incidimus are,
Nil minus aut are, aut structis durabile templis.
Fas foret ô pariter sensus incidere nostros.
Quantus amor cordi, & meritorum gratia, quali
Obsequio deuincta fides, ac fœdere cælum
Redderet as animante stylo; quo munere tantum,
Credo equidem, nulla vrbes non mercentur honorem.
Parma superfico pratendit stemmate murem,
Armoricum murem, Phryxai velleris instar
Ingentem famâ quem senis area palis
Sustinet, aquatoque secat candore nigrorem.
His perge auspicijs Sophia dilecta iuuentus;
Atque vbi crudescet calidis asperrima linguis
Pugna, ruentque acies, hoc protinus arripe scutum.
Nec dubita, stabis Rhedonum securior armis,
Quam si Peliacis quateres hastile lacertis,
Aut septem geminâ munires agide pectus.
Nec te terruerint clamosi tela sophista,
Pugnacesue doli, stadióque exercita virtus.
Hinc tibi fama venit. sic lapsa ancilia cœlo
Romulidas texere suos. hoc stemmate tectus
In Sophia gremium lauros pugil inferet. at iam
Clamorum, pugnaque satis; Paana canendum est.

E

Inque vicem obscura rimandum ænigmata sphingis.
Ocyus argutas aduertere Delius aures
Admonet; instandum. huc Sophiæ pugnacis alumni,
Huc Suadæ chorus. in medio victoria, si quos
Phœbus amat. neque vos legum consulta iuuentus
Crescenti inuideat famæ noua gloria vestro
Parta foro; necdum vobis oblita lycei
Præmia, & emeritam deceat quæ laurea frontem.
Nec labor ille togæ, summoue pigendus honori,
Otia si ferrent, & publica vota clientis
Armoricæ. sed enim haud ante explorando licebit
Ire per ambages, & operta euoluere rerum,
Quam vatum monumēta, penumq; exhauserit omnē
Scriptorum, Phariásque sagax intrarit in artes.
Cerno animis alacres mysteria in abdita nisus.
Adiuuat ingenium labor improbus; ardet haberi
Quilibet aut vates, aut vati proximus. ille
Cœlestes rimando plagas noua sydera monstrat
Nota sibi superaue leues in nube volucres
Agnoscit: syluas alter vestigat, & omnis
Fatidica est arbos. alter genus omne ferarum
Lustrat, & intactas capitat radio indice prædas.
Hortorum hic gemmas, & olentia munera floræ;
Hic pelagi scrutatur opes. In viscera terræ

Itur, & effoßis, rumpuntur claustra metallis.
Naturam quacunque latet, quacunque patescit
Certatim explorant, quatuorque ingentia rerum
Corpora, quæ primum caligo enixa futuris
Semina corporibus, viresque affundere iußit.
Ingenuas artes alij, artificumue tabernas
Inspectant studio, ludosque, & seria miscent.
At vereor frustra positus labor omnis in auras
Vanescat, fumoque augur pascatur & vmbrâ.
Non tamen indecores ausus. & laude carentes
Credere fas. genium auditor laudabit, & artem.
Pars habitum, pars concinnos in corpore motus:
Ille verecundo memorabit in ore lepores;
Hic fandi illecebras, tempestiuumque ruborem.
Si qua Heliconiadum spectatrix fœmina limen
Intrarit, (genus hoc adytis arcere laborent
Nec quicquam Aonides) risus hæc mollis amabit
Blanditias, aurúmque comæ, floresque genarum,
Et teretes digitos, & idonea crura choreis,
Luxuriem vestis, subtilia stamina byßi,
Ostrum, pileolo vittas, caligisque volantes.
(Sola etenim hæc mulier mirari, & discere nouit)
Optabitque domi similem sibi crescere prolem.
Hæc curam, hæc actas per docta insomnia noctes

Præmia quippe manent. ſed nec formidinis expers
Oedipus interea eſt, ne quis fatale, vel aſtu
Palladium rapiat, vel aperto Marte; ſibique
Conſcius arcani ſeſe timet ipſe: theatrum
Vt quiſque ingreditur, ſperat, metuitque viciſſim.
Mox vbi defunctus formidine ſentit inani
Deceptos ſpecie vates erraſſe, triumphum,
Sic fuſo velut hoſte canit, tabulamque pererrans
Expectata diu reſerat myſteria. ephebo
Dicenti, pariterque auctori admurmurat omnis
Conſeſſus. ſed iam reuocat condicta morantes
Cœna domum; mentem paſti mox corpora curent.

Tragœdia Iephte

Sic curarum adeo pars prima exacta. lyceo
Cuncta ſilent. quid enim ſaui ſuggeſta theatri
Exequar? Iſacia ſcopulis miſerabile funus
Virginis, & dubium voti, cadiſque parentem
Scena dabit. caſo Galadita redibat ab hoſte
Ductor ouans, voti immanis reus. obuia contra
Nata ſtetit, ſpes vna domus, heu! triſte piamen
Iſacidûm turmis, ferro deuota paterno
Victima. prô pietas ducis impia! ſiccine tanti
Ammonem viciſſe fuit! mutata cupreſſo
Laurus, & inſonti marceſcit palma cruore.
Ah, quid agis? quantos patri feſtina dolores

Fers, nympha Hebraas inter clarißima nymphas.
Pœnitet exaudita Deo malesana fugacis
Verba ducis, non ille nefas, nataque rogabat
Interitum. (exósis munus superi hostibus illud)
Reddi hostes, campumque, ignominiamque precetur
Victor, & iratos properet contraria diuos
Exorare parens; prastet fuga criminis expers.
Perge triumphales redimito milite victor
Per sobolis truncum, pater impie, ducere currus.
Ergo inter lessos, & lamentabile carmen,
Miles Io Paana canat? seruire Tyranno
Iuuerit Ammoni, aut crudo cecidisse duello.
O dolor; ô gemitus! longo mora parua dolori
Vix datur, in lucis sterilem secreta pudorem
Dum virgo fleat, & syluas moritura querelis
Incendat, miserata suum, miserata parentis
Fatum, virgineis deinceps solenne querelis
Carmen, & Hebrais exemplum inamabile nymphis.
Nec tamen in scenam nata producere funus
Nulla erit, aut patrios luctus renouare voluptas.
Tam citò luminibus lachrymas arescere nolit
Spectator, luctusque die non amplius vno
Exhaustos. desiderium saturare videndo
Paulatim iuuat, & manes placare puella.

Causa tamen victrix, pietasque, & prodiga vitæ
Relligio texere scelus. sed tristia lætis
Intermiscendum. festos exercita pubes
In numerum celebrare choros parat, atque decenti
Lege verecundos agili dare corpore saltus:
At non fœmineum in morem; sed Achillea quales
Erudijt Chiron; quales monstrante Gradiuo
Semideos agitasse ferunt, cum strata Gigantum
Turba ruit præceps, cœloque egere triumphum
Victores superi; ac veluti Troiana iuuentus
Trinacriæ in campis duce prælia lusit Iulo.
Loiolidæ laudes, & facta imitabitur agmen
Armoricum. pueri ad numeros discurrere docti
Et pugnas edent, & agent sine cæde triumphum.
Sat lachrymis, choreisque datum; nunc vltima circo
Tangitur ingenuæ latissima meta iuuentæ.
Victores iam præco vocat; sua præmia quisque
Accipiunt, meritâque aduelant tempora lauro.
Clara palæstritas delectat adorea. plaudit
Spectator multùm admirans, & imagine Iephtæ
Plenus in incerto est; nunc damnat iniqua parentis
Vota super cæsâ conquestus virgine; factum
Nunc probat euentu sancitum, & Marte secundo.
Quod superest, quanto stent inconsulta dolore

Sacramenta putans animis hoc denique discit,
Nil bene consultore metu, nil impete rectum
Constitui. vacuâ sed egere negotia mente.
Hac inter Sextilis abit. properate calendæ.
Septembreis. sua rite feret purgamina moli
Tertia lux, temploque nefas arcebit, & aris.
Hîc centum mihi, fama, tubis intendito vocem,
Trans montes, sylvasque & vasti cærula ponti.
Iampridem Augustum September proximus vrget,
Indignansque moras gestit præuertere pompa
Maioris patiens, regum clarissimus ortu,
Et LODOICÆO iam dignus nomine mensis.
O mihi BORBONIDVM natalis, ó inclyte partu
Heroum September ades, te Gallia quamuis
Tota vocet, tibi sacra paro. tu dignus haberi
Francigenis orbique sacer, dum publica mundo
Gaudia voluendo accelerans in auita reponis
Sceptra tot hæredem regum, dasque ardua regni
Auspicijs tractare suis, ac numine toto
Fortunam regere Europæ. tu protinus alto
Sydeream ostentas æquato examine libram,
Ante patri carum sydus, deincepsque futuro
Augustum generi, serisque nepotibus omen.
Dispenset sic iura suis, sic extera libret

Sceptra potens, regnisq; modum, finesque tyrannis
Arbitrio ponat belli pacisque sequester.
Quò longè me regis amor. quò me rapis orsus
Oblitum, LODOICE, mei? tu cætera Francis,
Fama, cane, & ventos impelle sequacibus alis.
Hac mihi, Diua, tenus paulùm tua signa, tubásque,
Et lituos cessare sino, dum Regia vulgas
Sacra per Europam. superis pia thura feremus.
Interea, & regi positis certabimus aris.
Conciliare Deum, quo læta exorsa regentis,
Seu pacem, seu bella velit, fortuna secundet;
Ah potius pacem, & dio perfusus oliuo
Vnctam oleâ frontem, quam lauro cingere malit.